DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO A FRIGORE.

DISSERTAIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CATARRHO A FRIGORE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

OLIVARIUS HUNTER,

HIBERNUS.

——— *Ut possem curvo dignoscere rectum,*
Atque inter sylvas Academi quaerere verum. HOR.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XC.

Viro praestantissimo

ALEXANDRO BREDIN,

ARMIGERO,

Apud Letterkenniam,

In Comitatu Dungalensi,

Ob multas virtutes,

Nec non

Beneficia in se suosque collata;

Hanc Dissertationem Medicam Inauguralem,

Parvum ut testimonium

Observantiae

Et

Existimationis,

Sacrum esse

Voluit

OLIVARIUS HUNTER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO A FRIGORE.

UT legibus hujus Almae Academiae morigerem, quaedam de catarrho ſcribere decrevi; qui, licet morbus non periculoſus, tamen varia atque dira mala excitare valet, praecipue Phthiſin Pulmonalem, quo morbo neque alter funeſtior neque fallacior corpus humanum aggreditur.

 Frequentiam

Frequentiam morbi, apud noſtrates, aerumnas quorum levare maxime noſtrum eſt, mihi prae aliis omnibus de hoc malo diſſerere ſuaſit.

Duae hujus morbi ſpecies ſunt, nempe, catarrhus a frigore, et a contagione. Tantum de priori, quia frequentior, et quod ratio medendi ambobus fere eadem, ſcribere in animo eſt.

DEFINITIO.

" Pyrexia, muci, ex glandulis membranae
" narium, faucium, vel bronchiorum, excreatio
" aucta; ſaltem hujus excreationis molimina *."

HISTO-

* Cull. Synopſ. G. XI.

HISTORIA MORBI.

Catarrhus omnem aetatem, sexum, atque temperamentum, sed praecipue juniores, atque sanguineos, et eos, qui, thorace angusto atque forma corporis gracili, sunt, aggredi potest ; et quoniam forma corporis plerumque a parente ad prolem tradi solet, nonnullos opportunitatem morbo haereditariam habere, dicere licet *.

Plerumque coelis in frigidioribus se ostendit, praecipue Vere atque Autumno, quoniam iis temporibus temperies aëris subito variat ; nam, ut auctor celebris ait, "a habit of uniformity in "the application of heat and cold to an animal "body, renders it more sensible of the smallest "variation

* Fordyce de Catarrho.

"variation of either *." Atque etiam Celſus monuit, minime vero aut frigus aut calor tuta ſunt, ubi ſubita inſuetis ſunt †.

Initio aeger, languore et laſſitudine totius corporis una cum horroribus, frigore admoto, facillime auctis, corripitur; animus hebeſcit; dolor atque gravedo capitis ſentiuntur; oculi ardore atque diſtentionis ſenſu afficiuntur, neque ſine dolore moveri poſſunt; eodemque tempore, aër per nares non facile reciprocatur. Saepe, poſtquam haec ſymptomata breve duraverint, fluidum acre, e naribus atque oculis, genas atque labium ſuperius excorians, ſternutationemque excitans, diſtillatur. Membrana faucium rubet, atque leviter tumida videtur; moleſtia in trachea cum raucedine vocis ſentitur. Aures hebeſcunt atque ſaepe tinniunt. Senſus anguſtiae in

* Hunter on the Animal Oeconomy.

† Lib. 1. Cap. ix. pag. 49.

in thorace, dolor regione ſterni, atque difficultas reſpirandi, aegrum infeſtunt. Tuſſis plerumque initio ſicca, poſtea humida adeſt. Dolores, rheumaticis ſimiles, circa collum atque caput ſentiuntur *.

Pyrexia, nunc temporis, praeſertim veſperi, ſupervenit, ac per totam fere noctem manet; mane tamen remiſſio accidit. Hoc morbi ſtadio cibi appetitus deficit, alvus conſtipatur, urina rubet, et arteriae frequentius micant, ſanguis miſſus, et jam concretus, ſuperficiem coriaceam albam oſtendens.

Haec ſymptomata violentiam morbi denotant. Morbus, quinque vel ſex diebus finitis, plerumque hoc modo abit: Rubor atque tumor membranae mucoſae faucium paulatim decedunt; magna copia ſpiſſi muci, interdum ſanguine tincti,

* Cullen's Firſt Lines, Vol. iii. pag. 87.

tincti, e naribus atque pulmonibus excernitur. Dolor capitis atque oculorum evanescit; molestiae in trachea sensus abit; vox clarior evadit; violentia tussis minuitur; atque sudor plerumque superveniens morbum solvit. Morbo cessante, saepe eruptio circa nares atque labium superius se ostendit *.

Cum morbus violentior fuerit, dolor atque tumor faucium augentur, thoracis dolores superveniunt, et saepe angina vel pneumonia excitantur. Morbus, scrophulosis sive phthisi opportunis, tubercula formando, aut jam formata excitando, et phthisin gignendo, maxime funestus est.

DIAGNOSIS.

Morbi, qui aetatem infantilem aggrediuntur, nempe rubeola, atque pertussis, catarrho incipiente,

* Hoffman.

ente, fimillimi funt. Si catarrhus adolefcentem qui nunquam rubeolis laboravit, et fi eodem tempore rubeolae epidemicae graffantur, inter hos morbos diftinguere, initio difficillimum erit, quia multa fymptomata ambobus communia funt; rebus autem fequentibus rite perpenfis, diagnofis facile formari poteft. Symptomata, in rubeolis, plerumque initio graviora funt, una cum anxietate et totius corporis irritabilitate; quidem tuffis dura et fere rubeolis propria difcrimen optimum praebet. Tamen, fi haec fymptomata fallant, eruptio puftularum, quae paucis diebus accidit, rem manifeftam reddet.

Catarrhum inter atque pertuffim incipientem diagnofin facilius formare poffumus; nam tuffis per intervalla redit, cum infpiratione fonora, efficiente quod Anglice *a hoop* vocatur, et poftquam aliquamdiu manferit, excretione muci e pulmonibus finitur, et aeger omni moleftia caret, donec paroxyfmus alter reverterit.

Quoniam

Quoniam phthiſis pulmonalis ſpeciem catarrhi ſaepe induit, non abs re fore, paucis de ea hic loci diſſerere puto; nam, eadem corporis forma atque temperamentum, quae opportunitatem ad phthiſin dant, quoque homines catarrho proclives reddunt.

Tuſſis, incipiente phthiſi, ſicca, brevis, atque vix ab aegro animadverſa eſt; reſpiratio leviſſimo exercitio frequentior, una cum dolore pectoris atque faucium titillationis ſenſu, evadit. Pulſus arteriarum frequentiores et debiliores fiunt, ſitis quoque adeſt, et febris, ſub veſperi, praeſertim poſt paſtum, ſe oſtendit, quae per totam fere noctem, una cum ſudoribus nocturnis, praecipue circa collum atque pectus, odoris ſibi proprii manet *. Verſus morbi finem expectoratio puris, diarrhoea colliquativa, nidor tunicae albugineae oculi, atque rubor et lubricum linguae

* Gregory's Praelect.

guae praeternaturalis superveniunt, quibus ſignis ab omnibus aliis facile dignoſcitur.

Aliae notae, ab indole ſputi, quoque ad diagnoſin inſtituendum deſumptae fuerunt; quaedam experimenta hic proferam, quae differentiam inter pus mucumque oſtendunt.

Quidam auctores ſputum a pulmonibus in aquam recepi ſuadent, quod, ut aiunt, pus imum petit, ſed mucus in ſuperficie natat. Haec tamen opinio, ab experimento Doctoris Fordyce, everſa fuit; nam ille, mucum ab urethra vel pulmonibus aëris expertem, ſemper imum petere reperit. Quoniam hoc nullum certum diſcrimen praebet, quod Fordyce et Darwin a multis experimentis reperierunt, hic referam.

Dr Fordyce, mucum ſtagnando viſcidum factum, aqua, neque frigida, neque calida, miſci

 poſſe,

poſſe, nequidem ope ſalium neutrorum, et ſemper fundum petere, reperit; mucum recentem facillime aqua miſci; quoque ab alkali cauſtico ſolvi; acida diluta parum mucum afficere; acidum autem vitriolicum ac nitroſum concentratum mucum facile ſolvere, et ſolutionem muci in acido vitriolico, brevi nigreſcere; ſublimatum corroſivum mucum in coagulum album redigere; mucum in aqua bulliente albeſcere, et lenteſcere *.

Darwin, acidum vitriolicum atque lixivium cauſticum, pus mucumque ſolvere, aqua adita, pus dejici, ſed mucum ſuſpenſum tenere, ſublimatum corroſivum mucum, ſed non pus, coagulare, reperit †.

Plura experimenta quam hic numeravi ambo

auctores

* Vid. Fordyce de Catarrho.

† Vid. Darwin's Exper.

auctores recenſerunt; ſed ea quae deſcripſi praecipua mihi videntur.

Diagnoſin inter phthiſin atque catarrhum, certe ſummi momenti inſtituere erit; tamen diſcrimen ab indole ſputi ſaepe fallax eſſe credo; nam, cum catarrhus aliquamdiu duraverit, et pulmones ab eo irritati fuerunt, illa vaſorum actio, qua pus verum gigni, induci poteſt, licet nulla ulcera aut phthiſeos ſigna adeſſent: Quamobrem, ſententiam de morbi indole proferre, cavere oportet, etſi pus verum expuatur, niſi caetera phthiſeos ſymptomata, viz. emaciatio, ſudores nocturni, et febris hectica, adeſſent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae ſunt vel praediſponentes vel excitantes. Praediſponentes vel haereditariae vel acquiſitae ſunt:

ſunt: Priores, a corporis habitu debili, una cum anguſto thorace et ſanguineo temperamento, vel ea corporis forma, quae phthiſi opportuna eſt, oriri videntur; nam corporis formam delicatam plerumque irritabilitas inſignis concomitatur, ut frigus leviſſimum inſolitum facile ſentiatur.

Quoniam pulmones vitae adeo neceſſarii ſunt, quodcunque actionem eorum impedit, incommodum neceſſario adfert, quia ſanguis non rite per eos tranſit, et quoniam partes malae conformatae, plerumque aliis debiliores ſunt; ſi humorum fluxus abnormis accidat, hae partes facilius, quam aliae, vel ex debilitate, vel anguſtia vaſorum, afficiuntur. Temperamentum ſanguineum et ſolida laxa, mobilitas corporis concomitatur, ita ut facile ab irritamentis inſolitis afficiatur.

Opportunitas acquiſita ab variis cauſis induci

poteſt:

poteſt: Nempe omnibus animi pathematibus deprimentibus, ut moeſtitia et timore, &c. Haec omnia, prout graviora aut leviora fuerint, effectus ſuos edunt; nam ſine dubio ſedantia ſunt. Syſtema vaſculoſum et nervoſum adeo inter ſe invicem connectuntur, ut quodcunque unum afficiat, alterum quoque turbare neceſſe ſit; ita timor et moeſtitia, vim nervoſam minuendo, circuitum ſanguinis tardiorem reddunt.

Pervigilium.—Homo, labore diei peracto, quo vires conteruntur, ſomnum neceſſario petit, quo vires reſtaurantur, totumque corpus reficitur; igitur, requie negata, corpus debilitatur, et actioni frigoris opportunum fit.

Nimia Venus.—Quoniam vaſorum tenſio neceſſaria eſt, ut ſyſtema vaſculoſum munere ſuo fungatur, igitur quodcunque vaſorum tenſionem minuit, actionem eorum debiliorem reddit; ita-

que

que venus nimia, a ſtimulo peculiari ſubducto, corpus ſolvit.

Calor, vita ſedentaria, et diaeta lauta, homines huic morbo obnoxios reddunt. Calor, licet vitae neceſſarius, tamen immodicus aut diuturnus, corpus valde afficit; fibras muſculares laxat et debilitat, humorum fluxus ad ſuperficiem evocat, totumque corpus irritabile reddit; ſi vita ſedentaria et diaeta lauta una cum calore conjungantur, plethora, praecipue in temperamento ſanguineo, inducitur, et corpus frigoris affectibus majus obnoxium ſit. Nam, ut Gregorius noſter ait, "Ignavia vero corpus ſolvit, debilitat, "mobile reddet, motumque ſanguinis langui-"dum facit, ſecretiones et excretiones fere mi-"nuit, et plenitudinem et obeſitatem efficit, et "igitur plurimis morbis viam ſternit *."

* Gregor. Conſpect. Med. Theoret. Vol. ii.

CAUSÆ EXCITANTES.

Frigus, caufam excitantem hujufce morbi effe, omnes fere auctores exiftimarunt. Vi quadam conftringente hunc morbum inducere videtur; nam vafa fubcutanea conftringit, ita fluida ad partes internas depelluntur; inde cordis et arteriarum impetus adaugetur, major fanguinis copia ad pulmones derigitur, vel ex confenfu cum fuperficie vel ex debilitate. Frigus tamen corpori admotum non femper catarrhum excitare valet; eas res, quae actionem frigoris adjuvant, hic loci oftendere conar.

Primo, Gradus frigoris.—Calorem corporis humani, gradum thermometri Fahrenheitiani nonagefimum fextum aut octavum aequare, conftat; omnem frigoris gradum inferiorem, corpus

corpus humanum refrigeraturum, credere non abſurdum videtur: Gradum autem ſexageſimum et ſecundum aequantem, ad corporis humani calorem minuendum, opus eſſe obſervatum fuit; nam corpus humanum, calorem gignendi facultate gaudet. Hinc videtur gradum abſoluti frigoris, niſi infra ſexageſimum et ſecundum, corpus humanum non afficere poſſe *.

Sed catarrhum, gradu frigoris, qui temperiem corporis minuere non valet, ſaepe induci obſervatum fuit. Hoc a vi frigoris relativa efficitur. Haec vis relativa ſenſum frigoris praebet, qui vi impreſſionis abſoluti non reſpondet †, ſed, perinde ac impreſſio recens antecedenti, major minorve fuerit. Hinc frigus catarrhum, non gradu, ſed mutatione temperiei a ſuperiore ad inferiorem, excitare valet.

Secundo,

* Cullen's Firſt Lines, Vol. i. pag. 144.

† Ibid.

Secundo, Diuturnitas frigoris applicationis.— Diuturna frigoris applicatio effectibus ejus favet; nam si frigus breve tantum admotum fuerit, licet temperiem paululum minuere possit, cito vim suam stimulantem ostendit, qua calorem gignit; quam effectus lavationis frigidae manifestum reddit.

Tertio, Cum frigus, forma aurae, corpori admotum erit, aut parti tantum, effectus ejus augentur.—Cum corpus aëri quiescenti exponatur, etsi imprimis frigidus sentiatur, haec sensatio non diu manet; nam calor perpetuo è corpore defunditur, et atmosphaeriam propriam aëri circumjacenti calidiorem format; cum autem aëris aura admota fuerit, atmosphaeriam corporis saepe mutando, corpus celeriter refrigerat, etsi aëri quiescenti, thermometro indice, non gelidior fuerit.

Cum toti corpori admotum fuerit frigus, humorum fluxus aequalis est, quia constrictio et reactio subsequens eaedem sunt: Sed parti admotum, fluida constrictione vasorum inde depelluntur, et aliorsum diriguntur. Ita fit ut applicatio frigoris topica catarrhum tam facile excitet.

Quarto, Humor frigori adjunctus actionem ejus auget, quia corporis calor evaporationi ejus favet; et, dum aqua in vaporem tollitur, frigus gigni bene notum est. Ex hac re, multos postquam sudaverant, catarrho corripi inter omnes constat.

CAUSA PROXIMA.

Ex symptomatibus morbi et causis remotis jam traditis, excretio muci vitiati una cum membranae

branae Schneiderianae, ac bronchialis inflammatione, caufam proximam effe videtur. Hic mucus fub initio parce, poftea vero nimia copia excernitur. Haec fecretio depravata ab inflammatione aut fequela ejus relaxatione provenire videtur. Inflammationem morbi initio fubeffe, ex tumore ac rubore faucium, et ex refpirandi per nares difficultate, plane conftat; quae fymptomata, antequam excretio omnino, aut faltem admodum parca, fupervenerit, fe oftendunt.

Inflammationem ad excretiones mutandas valere manifeftum videtur. Nam fecretio omnium fluidorum ab actione vaforum peculiari pendet, qua aucta vel imminuta, fluida excernenda, neceffario mutantur.

Hanc vaforum actionem pravam ab acrimonia fluidi excernendi oriri nonnulli crediderunt: Licet acrimonia adeffet, me judice, actio

vitiata

vitiata vasorum, magis a fluidorum copia, quam ab indole eorum, pendet.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnium hujusce morbi symptomatum rationem dare, et longum erit, neque operae pretium mihi videtur. Sequentia sat erunt.

Dolor capitis, oculorum distentionis sensus, respiratio per nares impedita, et dolor thoracis, ex sanguinis congestione oriri videntur: Nam causae remotae, ut jam ostendere conatus sum, fluida a superficie ad partes internas depellunt.

Sternutatio,—A muco excreto, membranam Schneiderianam nunc magis sensilem, stimulante, pendet.

Muci

Muci excretio aucta, a fluidorum fluxu majore, actionem adauctam vasorum efficiente, oriri videtur.

Raucedo.—Si vox a tremore laryngis atque partium vicinarum oriatur, has partes vibrandi facultatem, vel inflammatione, vel muco iis obducto, amissuras esse manifestum erit.

Tussis.—Omnes partes inflammatione affectae praeter ordinem irritabiles sunt; glottis igitur atque trachea stimuli muci impatiens fit, et tussis excitatur ad causam expellendam.

PROGNOSIS.

Hic morbus plerumque periculo caret; saepe paucorum dierum spatio sine remediorum usu sponte abit. Symptomata feliciora sunt, respiratio

ratio facilis, excretio muci ſpiſſi atque mitis e naribus ac pulmonibus, et tuſſis lenis. Pyrexia violens et dolor pectoris atque faucium major, pneumoniam aut anginam adeſſe indicant.

Cum ſeniores aggreditur, prognoſis magis infauſta eſt; nam effuſio muci nimia ſenibus saepe accidit; igitur, ſi catarrhus ſuperveniat, muci excretionem admodum augendo, periculum eſt ne ſuffocatio inducatur.

Regreſſus morbi frequentes prognoſin infeliciorem reddunt; nam, ſi prava thoracis forma aut ſcrophula adeſſent, vel haemoptiſi vel pulmones irritando, tuberculaque formando, aut jam formata excitando, phthiſi viam ſternere poteſt.

PROPHY-

PROPHYLAXIS.

Antequam medendi rationem aggrediar, pauca de prophylaxi proferam; nam, si cura major ad eam adhibita esset, morbus non tam frequenter se ostenderet.

Primo, Omnia quae corpus debilitant, aut irritabile reddunt, vitanda sunt; nempe evacuationes nimiae, inebriatio, aut crapula, et conclavia calida; nihil enim corpus adeo debile reddit, ac calor diu admotus; nam ii, qui conclavibus calidis usi sunt, frigore levissimo admoto, catarrho corripiuntur. Itaque, si corpus calidum tenere opus sit, vestimentis tutius quam calore ignis fit. Omnia animi pathemata deprimentia, et venus immodica, vitanda sunt.

Secundo,

Secundo, Corpus roborandum eſt,

Primo, Exercitio modico.——Effectus hujus omnes bene norunt, et corpori et animo prodeſt, concoctionem adjuvat, humorum fluxum ad omnes corporis partes, et praecipue ad ſuperficiem, aequabilem reddit: Exercitium autem violens omni cura vitandum eſt.

Secundo, Lavatione frigida.—Cum lavatio frigida commode adhibeatur, et facile toleratur, nihil magis prodeſt; nam cutem roborat, et omnia ſolida firmat; plerumque cordis et arteriarum reactio uſum ejus ſubſequitur, quae fluida ad ſuperficiem dirigit: Et Huxham ait, "Nothing more effectually ſtrengthens weak, lax "fibres than cold bathing. Indeed, in the time "of Popery and ignorance, when the prieſts "were knaves, and people fools, many a well "was ſanctified for nothing but pure cold wa-

"ters

" ter, the virtues of which the miracle-mongers
" of thoſe times attributed to a ſaint of their
" own making."

Tertio, Saepe ſub dio verſari.—Vis conſuetudinis, et in corpore et animo humano, effectus inſignes edit; quoque ad corpus a morbis tuendum valet: Hinc hi qui multum ſub divo verſantur mutationes aëris ſine incommodo ferre poſſunt; illi, e contrario, qui conclavibus cohibentur, leviſſima tempeſtatis mutatione afficiuntur.

METHODUS MEDENDI.

Multa exempla catarrhi exiſtunt, quae remediorum auxilio non egent, et nihil alio quam regimine idoneo opus eſt. Cum ſymptomata tamen violentiora fuerint, nempe, cum tuſſis,

dolor pectoris, respiratio difficilis, febris et sitis urgeant, tunc medicina opus est.

Ex prioribus de morbi natura observatis, sequentia tria consilia curativa necessaria esse videntur.

Primo, Diathesin phlogisticam tollere.

Secundo, Fluidorum copiam nimiam a capite atque pulmonibus derivare.

Tertio, Ab actione muci partes oblinire et tueri, et expectorationi faveri.

Consilium primum consequendum est sanguinis missione et regimine antiphlogistico.

Primo, Si initio vel decursu morbi pyrexia violens adesset, et praecipue, si respiratio multum afficiatur, sanguis mittendus est, prout aegri

vires

vires ſinant. Sed cautela hac in re adhibenda eſt; nam ſaepius venaeſectione haud opus eſt, et alia remedia vice ejus funguntur.

Secundo, Regimine antiphlogiſtico hoc conſilium ſatis certe ac tute efficere poſſumus. Ægrum a carnibus, condimentis, et vino, abſtinere oportet: Diaeta tenui ex vegetabilibus uti debet. Fructus acido-dulces, quia ſitem et calorem optime compeſcunt, utiles ſunt. Alvus leniter ducenda eſt laxantibus ore ſumptis, ut electuario lenitivo, vel ſalibus neutris. Cremor tartari, in aqua ſolutus, quia laxans et refrigerans, cum fructu adhiberi poteſt.

Secundum conſilium conſequuntur quaecunque humorum fluxum aequabilem reddere, et fluida ad ſuperficiem elicere valent. Diaphoretica mitia, quae ſine ſtimulo perſpirationem liberam excitant, ut hauſtus ſalinus, vel ſpt. Mindereri, optimo cum fructu adhiberi poſſunt.

Emetica

Emetica tamen optima remedia praebent; nam, ex consensu inter ventriculum cutemque, fluida ad superficiem propellunt. Inter haec antimonialia optima videntur.

Epispastica collo aut pectori admota, fluida ab iis partibus derivando, prodesse possunt.

Pediluvium, aut balneum tepidum, adhiberi possunt.

Tertium consilium efficitur omnibus medicamentis quae partes ab irritatione muci defendere, vel expectoratione favere valent, nempe, demulcentibus et mucilaginosis, ut aqua hordeacea, gummi Arabico, succo glycyrrhizae, vel decocto altheae. Haec omnia remedia, partes ab irritatione muci tuendo, suos effectus edere videntur. Vapor aquae calidae ore receptus, vasa laxando, atque ita actionem eorum adauctam minuendo, cum fructu administrari potest.

Interdum

Interdum partes adeo irritabiles fiunt, ut remedia hujusmodi parum valent; tunc opiata, si modo inflammatio non admodum violens sit, hoc consilio utilissima sunt; optimi trochisci forma adhibentur, quia paulatim in ore solvuntur, et ad partes laborantes ipsas admoventur, et hoc modo effectus meliores edunt, quam si in ventriculum recepta essent.

Mucus interdum lentus fit, et aegre expuitur, tunc expectorantibus attenuantibus, ut vocantur, opus est, quorum scillae, gum. ammoniacum, vel emetica, optima sunt. Haec omnia, vel ex stimulo, vel ex effectibus suis nauseantibus, agunt. Pyrexia finita, exercitium modicum, sub divo praecipue equitatio, optimum expectorans esse credo.

F I N I S.